Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1541
Quelle:
Copyright:

Animae L. IV. c. 117. ait, *Alcuinum* a *Bonifacio* Archiep. rogatum, ut Missam de hoc Mysterio in die dominico institueret, additque: *quod Romani non recipiunt.*

VI. *fol.* 97. Συλλογη Exemplorum e variis Libris v. g. *Vitis Patrum* lectorum, quorum veritatem praestabit, qui volet.

VII. *fol.* 107. *Vita sancti Wolfgangi episcopi* cum Prologo, qui incipit: *Fratrum quorundam nostrorum hortatu sedulo infimus ego O. cenobitarum sancti Emmerammi compulsus sum* &c. *Othlonus* hic est, cujus plura Scripta dedit *Pezius* T. III. *Thes. Anecd.* P. 2. a *col.* 141. et inter alia *col.* 613. *Prologum* nostrum, *Vitam* ipsam jam praeoccupante *Mabillonio Sec. V. Benedictino* p. 812.

VIII. *fol.* 117. Codicem absolvit *Hymnarium* ecclesiasticum mutilatum principio, et partim glossatum inter lineas.

DCLX.

R. 3355 Codex membraneus lat. Sec. XII. XIII. et XIV. Folior. 250. 12. ex Opusculis temere congestis maximam partem nitide scriptis constat, quorum hic est Ordo: I. *Speculum*, ut e calce adsumo, *Peccatorum*. Initium: *Quoniam in via huius vite fugientes sumus* &c. Olim *Augustino* tributum, quo multo posterius est, nunc legitur in *Append.* T. VI. edit. *Maur. col.* 155. non sine Textus variationibus.

II. *fol.* 16. *Glosula in theodolum.* Autor hic incertae aetatis, non tamen ultra Sec. X. proferendus jam *Vol.* I. P. 2. *col.* 2311. a me repraesentatus est. Commentatos in illum video fuisse *Bernardum* clericum *Ultraject. Steph. Patringtonum* Anglum, et Anonymum quendam, quem, teste *Leysero* in *Hist. Poet. med. aevi* p. 298. vetus Bibliotheca Acad. *Juliae* servat. At en, ut fallant Tituli! Pro Commento in *Theodulum* primo hic habes Commentum in *Boethii Metrum* 9. L. III. *de Consolat. Philos.* quod infit: *O qui perpetua* &c. Non est depromtum e *Thomae Aqu.* adscripto Commentario, qui *Boethium* in antiquis Editionibus stipat, ut docuit Collatio; neque ego alium Expositorem *Boethii* Sec. XIII. vetustiorem novi; hoc enim Seculo Exemplum nostrum exaratum est. Scatet istud vocum compendiis, et incipit: *O Qui Perpetua. construitur. O pater. da menti b. in au. se.* (augustam sedem) *id est summum b.* (bonum) *quod dicitur regalis sedes* &c. Absoluto hoc Commentariolo tandem *fol.* 23. *Theoduli* expositor incipit, et quidem ab Epistola dicatoria: *Lecturus aliquando theodolum pueris, quibus docendis doctorem doceri, quam docere aptiorem me prefecistis, primum quidem in his, que extra queri solent, dehinc in historiarum fabularumque misteriis eos cepi rudis rudes erudire.* Multis dein homo ingeniosus et acutus differit, quam